



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Prima Duo Sæcula Complectens

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1758

VD18 13322648

§. 31. Pantenus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66002](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66002)

at modo mihi relatum, eorum mentem aliqua hæresi esse infectam, ideo diligenter ad vos revertar, proximis his diebus me habebitis. *Sæculum II. A.C. 189.* Fratres mei! scimus, qualis fuerit Hæresis Marcionis, sibi-
metipsi ex toto contradicentis, & quid diceret nescientis; hoc ex iis, quæ vobis scripta sunt, intelligetis. Etiam se mihi obtulit occasio mutuum accipiendi illud Evangelium a quibusdam, qui illi student, nempe eorum successoribus, qui primum illo usi sunt, & Docitas appellamus, nam pleræque illarum opinionum ipsis originem debent; legi ergo, & inveni, quod potio-
rem partem sit sana Salvatoris Doctrina, at aliqua immixta sunt, quæ huic Doctrinæ non concordant, & quæ his ad vos transmittimus. Hæc sunt verba Serapionis. Docitæ vocabantur, qui My-
sterium Incarnationis non vere, sed tantum in speciem peractum fuisse, asserabant.

§. XXXI.

Pantenus.

Jam temporibus Juliani Episcopi Alexandriæ degebat Pantenus, Scholæ Christianæ, more antiquissimo institutæ, Moderator, vir Doctrina clarissimus, Stoicorum e Secta egressus; tanto Religionis fervore, ut sub Episcopo Demetrio ad nationes Orientales fidei prædicandæ causa

*Euf. V. hist.**cap. 10.**Hier. Scrip.*

Sæculum II.
A. C. 189.

causa profectus, usque ad Indos penetra-
rit; tunc enim plures adhuc Evangeli-
stæ dabantur, zeli Apostolici imitatores,
qui fidei propagationi infudabant. Pan-
tenus in Indiis adveniens, aliquos Chri-
stianos invenisse dicitur, qui Evangelium
S. Matthæi habebant; nam S. Bartholo-
mæus ibi prædicaverat, & hoc Evange-
lium hebraice scriptum reliquerat, illuc
usque conservatum. Pantenus gestis ibi
multis rebus Apostolico zelo dignis, Ale-
xandriam rediit, ubi usque ad finem sa-
crarum litterarum scholæ præfuit, ore,
& calamo docens. Multos erudit Di-
scipulos, & inter illos Clementem, suum
in docendi munere successorem.

§. XXXII.

*Mors Commodi. Pertinax. Julianus.
Severus Imperatores.*

Anno JESU Christi centesimo nonagesi-
mo secundo ultima Decembris Com-
modus Imperator occisus est. Datis
plurimis crudelitatis exemplis, nova ad-
dere parabat, & multos viros Consula-
res, Senatores, interque alios Letum
Prætorii Præfectum, Electum cubiculi
custodem, ipsamque Marciam concubi-
nam morti destinaverat, quorum nomi-
na manu propria tabulæ inscripserat, ea
vero casu in damnatorum manus delapsa,
consilium iniere, quomodo Tyranni nece
suæ

*Herod. lib. I.
Dion. epit.
in Commod.
Lamprid.*